



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

12. Prælati vniuersa debet temperare,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

ei viriliter inhæreamus. Idem: Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur: paulatim gemmis corona nostra priuatur.

Quòd prælatus debet vniuersa temperare.

CAPVT XII.

*Cap. 64. parum à fine.
Eodem cap. circa finē.*

Qui monasterio præest, vniuersa temperare debet. Vnde Benedictus in regula: Abbas opera quæ iniungit, discernat & temperet. Item Abbas sic omnia temperet, vt sit quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Temperantia ista experientiam requirit. Sicut enim vinum non bene temperatur, nisi prægustatione virtutis eius sentiatur: Sic prælati qui in conuentu nunquam iacent, vel comedunt, vel diuinum officium audiunt, onus quod conuentus sustinet, temperare nesciunt. Vnde non exhibent se patres vel prælatos, sed potius exactores; quales fuerunt exactores Pharaonis, qui à populo Deo consuetum numerum laterum exigebant: tamen paleas & quod consuetum erat eis, ministrare nolebant. Exodi 5. Sic tales prælati, & contra regulam fratres onerant, & tamen eis necessaria non ministrant. Tales sunt imitatores Balaam, non parcentes a sinæ, sed eam cedentes vtique ad querimoniam. Num. 22. Congregationem enim, quæ vt iumentum apud eos facta erat, adeò stimulant, vt eam murmurare compellant. Prælatus timere debet gregi suo, exemplum Iacob. Genes. 33. Si greges meos plus in ambulando fecero laborare: morientur vna die cum ceteris greges. Et notandum, quòd sicut prælati temperare debet quæ sunt aliorum, sic & quæ sunt ipsius.

ipſius ſunt. Bona monaſterij ſunt pauperum
 Chriſti: ideo cū in Eccleſia tot pauperes ege-
 ant, non ſunt bona illa prodigè expendenda.
 Vnde dicit beatus Benedictus in regula ſua de
 cellario monaſterij: Quod non ſit prodigus aut
 extirpator ſubſtantix monaſterij: ſed omnia
 meſuratè faciat. Prælatus non debet in fa-
 ſtu huic ſæculo ſe conformare. Pauperem e-
 nira ſe debet reputare, cū in bonis monaſte-
 rij non habeat dominationem, ſed diſpenſatio-
 nem: de qua diſtriſtam rationem eum reddere
 oportebit. Sapiens: Pauper vbi cœperit diuitem
 imitari, perit. Monaſteria depauperantur, cū
 in faſtu principes imitantur. Quem faſtum Ber-
 nardus reprehendit his verbis: Quod, vt cætera
 taceam, ſpeculum humilitatis eſt, cum tanta
 pompa comitatus incedere, tantis hominum
 circuitorum ſtipari obſequiis, quatenus duo-
 bus Episcopis vnius abbatis ſufficiat multitu-
 do? Mentior, ſi non vidi abbatem ſexaginta e-
 quos, & amplius, in ſuo ducere comitatu. Dicaſ
 ſi videas tranſeuntes, non patres eſſe monaſte-
 riorum, ſed dominos caſtrorum: nec reſtores a-
 nimarum, ſed principes prouinciarum. Illas ex-
 penſas debet prælatus libenter facere, quæ va-
 lent ad conſeruationem religionis, & quibus
 vitatur occaſio diſſolutionis. Aliquando pro
 defectu, qui pro modico poſſet ſuppleri, eua-
 cuato reſectorio, cameræ replentur. Prouidere
 debet prælatus, quantum poteſt, ne dentur diui-
 tibus, vel conſanguineis vel aliis, quæ ſunt danda
 Chriſti pauperibus. Panis enim egentium, vita
 pauperis eſt. Qui defraudat illum, homo ſan-
 guinis

*Ca. 31. circa
 medium.*

*In Apol. ad
 Gulielmū
 abbatem,
 cap. penult.
 à med.*

guinis est. Eccles. 34. Item prouidere debent
furentur infideles ministri, vnde viuere debent
serui Christi: & ne egeant domestici, vnde lu-
xuriantur extranei. Cogitare debet futura
comparationem: vt in dispensando habeat di-
scretionem. Ideo aliqui bona sibi commissa dis-
sipant: quia de reddenda ratione non cogitant.
Prouerb. 28. Viri mali non cogitant iudicium.
qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.

*Incipit secunda pars, in qua ostenditur quomodo
se debeat habere qui subditus est.*

Ostensum est, quomodo se debeat habere
qui congregationi præest, nunc ostenden-
dum est quomodo se debeat habere, qui est sub-
ditus, qui inobedientiam specialiter debet
timere & cauere. Vnde vna de duodecim abbas-
nibus claustrum enumeratur discipulus inobedi-
ens. Vnde obedientiam specialiter amplecti de-
bet, qui in statu subiectionis est. Hæc primo com-
mendabitur. Secundo eius gradus distinguen-
tur. Tertio tangetur de his quæ eam iuuant.
Quarto de his quæ ei aduersantur. Quinto de
eius partibus.

*De commendatione obedientia, & detestatio-
ne inobedientia.*

Obedientia lignum vitæ est his qui apprehen-
derint eam: & qui tenuerint eam, beati-
tus est. Simonem, id est, obedientem beatificat
uator. E contrario inobedientia, lignum mortis est.